Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

49 Vorträge in wörtlicher, meist eigenhändiger Wiedergabe - Cod. Karlsruhe 3420,1

Sonntag, Karl Gottlob

[Karlsruhe], 1772-1776

[Wohnlich, Christoph Friedrich]: Culpa vacare solatium ese demonstravit, 02. Juli 1774

urn:nbn:de:bsz:31-99825

Visual Library

2.7.5.

Culpa vacare solatium
esse
demonstravit
C. B. Wohnlich Pforzhemensis
d. 16 Julii MDCCLXXIV. — 228 V. 02

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg

Invenitur, Auditores Honoratissimi! in actionibus humanis tanta varietas, quanta varietate animi ipsorum inter se differunt. Alterius animus studium virtutis munus suum facit, alterius illam aversatur. Fortasse quaerat aliquis ~~an~~, utrum possit animus reperiri, qui neque ab illa abhorreat, neque rejiciat, neque tamen etiam illam sequatur. In promptu est responsio, limitata quidem. Namque, quia virtutibus amaritudo permista est, vitia vero voluptate condita sunt, illa amaritudine offensi, hac deliniti feruntur in praeceps, atque, non inimici virtutis, sequuntur vitiorum anfractus devios. Respiciendum igitur est, ad actiones humanas, ex quibus evidentissime patet, quomodo se habeant mortalium animi qui nunc in agendo laudandi, nunc reprobandi sunt. Certissimum boni animi indicium est, efficere bona, laudanda, obdurare semel contra mala, rejicere illa, et laborare, ut animus quotidie emendetur; quum e contrario, qui animum sinerent pejorem fieri, pertinaciter inhaereat vitiis, non laborantes, ut animus, ad fraudem acutus, assimulatus, odio impletus atque invidiosus, in purum, candidum atque simplicem transformetur. Illi comperto animo fruentur; fruentur etiam dum emendant: alia tamen illa voluptas est, quae percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe purae et splendidae. Sed non eadem est horum ratio, quippe qui, recognoscentes olim multitudinem praeteritorum malefactorum, pervantes animo, quot hominibus petulanter, improbe atque nefarie, molestiam et injuriam attulerint, horrore impleti, magna denique desperatione afficiuntur. Actum est cum illis, nisi, priusquam omnis spei expertes fiant, nigram animam cum candida commutant; quod quidem difficile est et paucissimi ~~saepe~~ impetrant. Quemadmodum enim homines, qui trans rapax flumen ire cupiunt, si semel rivus tetigerint sensim altius flumini sese immittunt, et si in medium rapacis fluminis pervenerint, pessum dantur atque sorbentur:—

ita, qui semel non ubi abstinuerunt identidem vitiorum labyrintho sese involvunt, ex quo, progredi semper, nunquam vero pedem referre possunt.

Solatium igitur est culpa vacare.

Et hoc est, quod nunc diffusius demonstraturus sum
Enumeraturus 1mo varia culparum genera
Ostensurus secundo, quomodo possimus evitare culpam, et quem illa vacare dicamus
Disquisiturus denique, cur illa vacare solatium sit

In primis igitur, Auditores Honoratissimi! ut benevolas aures mihi praebeatis etiam atque etiam rogati, occurrit mihi, de variis culpae generibus hac parte locuturo, ut quid culpa sit, ostendam. Est autem illa, ut paucis absolvam, tristis malefactorum conscientia. Hac notione praemissa, minori labore eoque facilius afferre varia culparum genera possum; quarum omnia, ut jam dixi in eo conveniunt, ut in omnibus haud jucunda inveniatur scelerum atque vitiorum conscientia, quae mortales juste quidem, sed dure afficit, doloribus tam diris, tam moerore plenis, ut amisisse vitam, in nihilum redigi corporisque cruciatus miserrimos pati, solatium, et in comparatione horum dolorum, quibus mala conscientia mortales vexat, parvum omnino esset atque ferendum. Intersit ideo omnium, ut fugiant omnia, quae rectae nocent conscientiae. Fugiamus ipsius inimicos, repellamus illos et rejiciamus! Ah, pro dolor! Inveniuntur tot tantaque, quae sopire illam laborant; nisi his inimicis audacter occurras, conscientiamque contra illos obduras aditum sibi patefaciunt, et quo serius, eo vehementius,

furialibus armati facibus, quas nulla extinguet aetas, mercedem sceleris expetent. Ante omnia itaque sciendum nobis erit, qui sint illi adversarii, ut resistere illis possimus adeoque prohibere? Quam ridiculum enim foret, fugere aliquid, quod ne noscimus quidem! Exploratum habemus culpam, qua nos contaminamus, modo ex ignorantia, modo autem etiam ex studio oriri, si nimirum, quod plerumque accidit, omni studio laboramus et nos vitiis sponte tradimus, ne minima quidem ex parte illis obstantes. Quod non evenire solet, si ad illos, qui ex ignorantia peccant, respicimus. namque hi, si peccando sentirent se peccare, statim dum peccant peccare desisterent, quoniam animi ipsorum, nondum sopiti, malunt virtuti, quam vitiis obtemperare. Ideo enim nascimur, ut rationem excolamus, ideo rationem excolimus, ut virtutem sequamur, ideo virtutem sequimur, quia illam proposuit homini Deus; ideoque illam sapientissimum illud Numen homini proposuit, ut in aeternum mortalis sit beatus, ut nullo tempore non habeat solatium, quod a nullo in dubium vocari existimo. Inveniuntur porro alia culpae genera, quae quidem cum his, de quibus jam dixi, conjuncta sunt. Possum enim vitia committere, quae nunc mihi nunc aliis obsunt, nunc ex ignorantia nunc studio.

Et haud raro evenit, ut ipsum Deum, cujus nutu omnia geruntur, qui omnia regit atque moderatur, summum hunc Creatorem Mundi ideoque et nostri, benignissimum Patrem, quem honorare et colere deberemus, ut ita dicam, laedamus; quod quidem falsum est, laedi enim a mortalibus Immortalem haud fieri potest; quanquam, si fieri posset, multi cuperent. Quotidie mortales in Deum peccant, variis quidem modo.

sidemus enim alium, ex rerum divinarum ignorantiâ peccare, in Deum; alios vero, cui omnia Divina Praecepta sapientissimaque Divini Numinis voluntas constat, nihilominus, indulgentissimum Patrem, non obediendo et resistendo, ad iram excitat. Quin imo eo vesaniae homines progrediuntur, ut adversus animalia, ratione carentia, saepissime saeviant. Quo nihil crudelius, nihil injustius excogitari potest! Uti quidem illis nobis licet, abuti vero nobis non concessum est. Nihilo tamen minus crudelitatem mortalis in illa exercet. Sed nondum satis! In gravem quoque culpam homines incidere possunt, dum rebus vita plane carentibus, aut abutuntur, aut, contra finem sapientissimi Dei, illis plane non fruuntur. Utrumque vitium est. Quoniam Deus illas nobis dedit, fruamur illis sed ita fruamur, ut praescripsit Deus. In omnibus rebus modus habendus est; quem qui negligunt, gravi scelere se commaculant. Ex his, Auditores Honor. de quibus hactenus locutus sum, facile intelligi posse arbitror, dari inter ipsas culpas gradus, prout aliquis, vel plurium vitiorum sibi conscius est, vel in plures vel in se, vel in alium, vel in Deum, vel in bruta vel in res vita carentes, peccavit, et culpam suscepit. Utrum autem ignorantia an studio susceperit, ex primis considerandum esse opinor.

Neminem iniquius iturum esse censeo, qui maior culpa sit, quae ex Dei contemtu provenit, quam quae ex rerum vita carentium abusu. Nemo negabit, quin sit ille graviori culpae obnoxius, qui in se, quam in alio deliquit. Possem multa afferre exempla

quibus haec res illustraretur; sed frustra! adferrem illustratam enim rem illustrare velle frustraneum est.

Enumeratis igitur culparum generibus, videamus Quomodo possimus culpam evitare, et quem illa vacare dicamus.

Vacat autem illa solus sapiens, qui, quicquid potest laboris impendit, ut nullus praetereat dies, quo non emendatior fit, quam fuit ante; qui indefinenter laborat, et omnibus omissis, hoc unum agit, ut emendato animo, et sibi et aliis prosit; quo efficit, ut, communi amore amplexus, omnes ipsum venerentur, et quasi Deum colant. Omnium ille autem affectu inflammatus, inchoata perficit, perfecta firmat, firmata obdurat, et obduratis denique, ut solent sapientes, utitur. Felicem nominamus, non quia aliis videtur, sed quia sibi; quia bonarum actionum sibi conscius est. Hunc imitamini mortales! Sequimini illum, tam sincerum, tam bonae mentis probisque moribus praeditum ducem, qui, expertus jam jam, quid virtuti debeatur, recta via vos ad illam perducet. Scit, quantum illa afferat emolumentum, et amore erga vos impletus, quam cupidissime optat, ut et vos ipsius participes fiatis. Sed, non exemplo sufficit: nam, quanquam nullo displiceat tale pietatis exemplar, attamen, experientia teste, manifestum est, plurimos illa sequi, quae a maxima parte sequuntur, maximam autem partem non nisi mali constituunt, ergo malos sequuntur, quos fugere, quorum societatem evitare

multum jam proderit, quam diu enim cum illis familiariter vivimus, non exspectari potest, ut meliores evadamus, quam ipsi sunt. Et, quemadmodum parum fideliter extincta incendia majori flamma reviviscunt; ita, nisi statim in initio animus noster ab omni labe purgatur, et perfectis virtute impletur, timendum erit, ne denuo in vitiorum, perditionis et fraudis devia, in quibus mors voluptatis illecebris adoperta celatur, abducamur, et sine ulla spe relicti, ad exitium festinamus. Fugiendae igitur sunt pravae societates, sed emendanda quoque est nostra voluntas, ex qua fere solum dependet actionum nostrarum conditio. Rationi illam subjiciamus, et tunc demum, si acumine illius rem bonam, et dignam ut appetamus, perspeximus, tunc demum, inquam, voluntatis ratio habenda est. Sed excolamus etiam rationem, namque, quo pretiosior illa est, eo tristius etiam mihi videtur esse ab illa destitutus. His omnibus rite compositis, quis non inspicit? curae nobis esse decet, ut assidui simus, in efformando animo, nisi volumus, ut inceptum opus tristi ruina corruat. Haec igitur sunt, quibus adjuvantibus omnem culpam, quaecunque sit, evitare quimus.

Restat autem adhuc, ut, Quare solatium sit culpa vacare, explicem.

Omnino solatium est! Quodsi enim requiem malorum solatium vocamus, consequitur, solatio etiam

esse conscientiam ab omni culpa puram; solatio esse mentem integram, castam, et inviolatam. Non est, ut hac de re dubitemus; namque praeter rationem, verissimam habemus testem, experientiam! hanc citemus, et illa nobis validissimum testimonium dabit, quod aliquo solatium sit, extra culpam esse. Nonne et vestra conscientia, Auditores Honoratissimi! Nonne, inquam, et vestra conscientia, interdum excitatur, sive bona, sive mala commiseritis? Nonne etiam toties, quoties bona effecistis, jucunda fuit recordatio? quae omnino solatium vobis afferre debebat.

Sed nondum sufficit uno teste, alterum quoque citemus, rationem puta! Rem enim testibus planam facere perfacile mihi est. Audite testimonium ipsius, Auditores Spectatissimi.

Si, inquit illa, solatium requiem malorum vocamus, conscientia vero bona non patiatur aliquem dolorem, qui e malefactorum recordatione oritur, ipsaque, prout actiones vel bonae vel malae sunt, bona vel mala esse cognoscitur, patet, ut in eo requiescere possimus, si nunquam desiverimus omnem operam, ad bona efficienda, collocare.

Ô si omnes igitur studerent atque niterentur hujus solatii participes fieri! O si omnes illud amplecti, fructumque ipsius capere vellent. Divinam originem ducit, quare immortale est! Illud curas repellit, illud fastidium deprimit, illud denique, quod votis omnium respondet, nos afficit praemio in aeternum duraturo. ~.